Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Coniuro uos doemones, si plures estis per ligaturam, qua Christus ligatus est ad statuam, ut omnes simul in unum globum coniuncti sitis, et præcipio uobis in uirtute domini nostri Ihesu Christi, ut omnes simul coniuncti exeatis ab ista famula dei. N. absq; mora, et sicut nec ad ictum oculi contra uoluntatem dei in coelo manere non potuistis, sic nec ibi manere possitis, per eum qui. etc.

Post hoc exuatur obsessus omnibus uestimentis suis, et induatur aliquo uestimento prius benedicto, et benedicantur omnia membra eius, cum orationibus sequentibus, et fiant ad singula membra cruces cum sale et aqua benedicta.

Ad Caput.

Domine Ihesu Christe, qui principale organum, caput, exterius corpori præponendo disposuisti, ut sensuum esset receptaculum, et tui cognitionem repræsentaret: Nam caput es ecclie, et cuncta bona à te procedunt, præsta, ut huius famulæ tuæ. N. caput sanos recipiat sensus, et omnis malignitas nequam spirituum excludatur ab ipsa: et te caput, sano sentiat intellectu, et mente tibi seruiat sempiterna: per te dominu nostru Ihm Crum, qui uenturg est. etc.